



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXVIII. Epistola Eberhardi Bamberg. Episcopi ad Abbatem Admontensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Epistola Eberhardi Bamberg. Episcopi ad Abbatem Admontensem.*

**B**ERHARDVS Babenbergensis, gratia DEI, si quid est, Venerabili & in Christo plurimum dilecto Domino G. eadem gratiâ Admuntensi Abbati salutem in Domino cum oratione & obsequio. Fatemur, & in veritate fateri cogimur; demembrastis, euiscerastis, & quodammodo excordastis vosmet, in altera vice pro nobis: prius quidem in Abbatissa nobis transmissa; nunc, in Abbate ab ipsis præcordiis paternæ, & germanæ dilectionis auulso pro nobis. Proinde nobis in gratiarum actione deficientibus, Dominus pro nobis retribuatur; & consoletur vos, sicut per vos consolati sumus & nos. Equidem post illud dimidium cordis vestri, quod pridem concretum in spiritu cordi nostro coaluit, & DEO gratias, à vulnere translationis iam benè conualuit. Reliquum nunc cordis vestri dimidium, auctore DEO, non solum nostro, sed & omnium eorum cordibus quibus à DEO datus est, ita influxit, quod dictu incredibile est. Hæc sit vobis consolatio, Pater sancte; & nos habeatis de cætero vnâ cum his membris vestris, quæ nobis in multa charitatis virtute incorporastis, vt alter alterius onera portantes, simus omnes membra corporis Christi in vnitatis Spiritus, qui pro nobis orantem vestram sanctitatem vsq; ad plenitudinem dierum vegetet & conseruet incolumem.

XXXIX.

*Epistola Conuentus S. Michaelis ad Abbatem Admontensem.*

**R**euere[n]tissimo & amantissimo Patri & Domino G. Admuntensium Abbati omnis chorus monachorum S. Michaelis cum instantia orationis humil-